# QVÆSTIO MEDICA,

## CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XII. MARTII,

## M. IOANNE COVSIN, Doctore Medico, moderatore.

*An Pisces Carnibus salubriores?* 840.

NATVRA, cui non vitæ cupido maior quàm cura, cunctis quæ genuit animantibus alimenta peculiaribus eorum naturis conuenientia impertiuit; Talpæ terram, Cicadæ rorem, Chamæleonti aërem, fodinarum Cypri bestiolis ignem, stirpibus & piscibus aquam: soli homini, in cuius vsum omnia videntur procreata, tot genera ciborum aut ipsius vtilitati aut voluptati sapienter indulsit. Non omnes eâdem capiuntur escâ, sed quam appetunt, priusquàm ingerant, olfaciunt. Quæ iucundiora, suauiora, & ab omnibus expetuntur alimenta, sine iniuria putes meliora. Hæc ventriculus optat auidiùs, arctiùs amplectitur, expeditiùs, etiam languens, concoquit: inde εὔχυμα, & à quibus minor fit excrementorum congestus, fastidium non pariunt, citiùs conficiuntur, tenera, leuia, rara, friabilia, tenuia, humida, dulcia, nec vllâ ingratâ qualitate affecta,

ΠONOI, σιτία, ποτὰ, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια. Omne multum naturæ inimicum. Vt cibi etiam εὐχύμου satietas fugienda, ita & is qui mali succi, palato si placeat, parca manu conceditur impunè. Qui alimento robur sibi quærunt, ij telluris inutile pondus. Edimus vt viuamus, non è contrà, viuimus vt edamus. Cibi ad sanitatem optimi, qui ingesti satis sunt fami & siti, & perfectâ post coctionem secretione ἀξιολόγως per aluum secedunt: Hi ventrem nec soluunt nec cohibent, stomacho nec robur nec imbecillitatem faciunt, ita nec sudores vrinamue prouocant aut coërcent, neque aliam quamuis dispositionem calidam, frigidam, humidam aut siccam in animantis corpore ingenerant: sed quale animantis, quod nutritur, corpus inuenerint, tale prorsus conseruant: quæ denique nec medicamenta sunt, nec alimenta medicamentosa, sed simpliciter alimenta.

ALIMENTA (quæ totius substantiæ familiaritate in corporis animati substantiam conuerti possunt) ab animalibus terrestribus, volucribus & aquatilibus præcipuè desumuntur: inter quæ Pisces primas tenent; quorum, siue sint αἰγιαλώδεις, siue θαλάττιοι, siue πετραῖοι, succus est optimus: cunctis tamen antecellunt πετραῖοι. Alimonia ex ipsis non modò concoctu facilis est, sed saluberrima: sanguinem consistentiâ mediocrem generant, detergent, leues sunt, siccum suppeditant alimentum, augent & nutriunt admodùm, quíque vt sunt friabiles, ocyùs coquuntur, faciliùs permeant, nec excrementa multa flatúsque relinquunt. Nullus his inter edendum lentor, non fatuus aut ingratus, sapor vt carnibus: quæ siue ex pedestribus siue volatilibus petantur, piscium bonitatem non æquant. Illorum caro valentiùs nutrit, sed hæc sit Athletarum, non benè habitorum: horum salubrior quidem, tenuior, & ad coquendum facilior, sed parcius, immò paucissimum præbet alimentum. Carnes denique omnes ægriùs superantur, tardiùs distribuuntur, excrementorum faciunt ingentem prouentum: molliores sua pinguedine subuertunt ventriculum, appetitum deijciunt, facilè bilescunt & in vapores absumuntur: sicciores, duriores sunt parúmque nutriunt; & vt pisces mediam consistentiam tenere certum est, sic carnes in excessu esse satis comprobatum.

HABENT ab ea mediocritate substantiæ pisces, quòd pinguedinem nullam aut paucam generent, diu citra fœtorem durent, non sanis modò, sed ægris etiam omni ætate & tempore conueniant. Hyeme, suâ euchymiâ intensum calorem natiuum temperant; Æstate, siccitatem ab ambientis feruore partibus impressam emendant; Vere, mediam corporum temperiem conseruant, vnde Quadragesimali tempore (inuitis impiis) summoperè laudandi; Autumno, ob breuem in ventriculo moram, coctionem non perturbant. Ex piscibus, si quem reficere voles, valentes dato. Hi sese in calido exercent ad succi probitatem, nec tamen vnquam motu incalescunt aut exsiccantur; immò aquæ frigiditate & humiditate temperantur. E carnibus, quas ægris tutò possis præscribere, sanis citra sanitatis dispendium concedere, ni prouideas, nullas inuenies: motu, vel etiam moderato, sicciores euadunt; immotæ molliores plus iusto redduntur & humidiores.

CARNES, quòd substantiâ sint crassiore, ventriculo graues, vix perfectè subiguntur, crassum, lentum aut viscidum succum proferunt, corpus quàm par sit robustius validiúsque faciunt, & ob id breuioris æui ac omnis generis morbis obnoxium, mentis hebetant aciem, hominem crassum reddunt & stupidum, & cui anima sit pro sale. Salubriores, & ob delicias cæteris anteponendæ, Siculorum mensæ, quibus edulia mare porrigebat. Hæ corpus reddunt εὔσαρκον, non obesum & adipe multo delibutum, longioris vitæ, ab omnibus morbis immune, nec non λεπτὸν τίκτουσι νόον. Hinc Icthyophagi & quibus pisces pro pane, diu degunt incolumes, mentem habent sanam in corpore sano. Piscibus quippe tanta cum naturâ nostrâ familiaritas, vt non aliâ magis carne quàm humanâ delectentur, eos ipsi possimus vel crudos tutò deuorare. In his quicquid inest cæteris alimentis, tùm ad gratiam palati, tùm ad succi bonitatem, pleniùs reperitur. Verè νέκταρος ἄνθη, Deorum & Herôum, quibus præcipuè nascuntur, cibi, qui perfectè sanos tuentur, neutros præseruant, ægros restituunt, & quod votis omnibus exoptandum in alimonia, παρέχουσι μέχρι γήρως ζῶντας.

*Ergo Pisces Carnibus salubriores.*

 287

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS LE VASSEVR, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.